

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# **BOLLETTINO**

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 170603c

Saturday 03.06.2017

## **Letter of the Holy Father to the special envoy to the celebrations of the first National Eucharistic Congress of Angola (Huambo, 12-18 June 2017)**

On 8 April 2017, the Holy Father Francis appointed His Eminence Cardinal Manuel Clemente, Patriarch of Lisbon, as his special envoy at the first National Eucharistic Congress of Angola, to be held in Huambo from 12 to 18 June 2017.

The following is the Letter of the Holy Father to His Eminence Cardinal Manuel Clemente:

### **Letter of the Holy Father**

*Venerabili Fratri Nostro*  
**EMMANUELI S.R.E. Cardinali CLEMENTE**  
*Patriarchae Lisbonensi*

Eadem hebdomada in qua, Divini Magistri ad voluntatem, totum per catholicum orbem iam a saeculis sollemnitas celebratur Sanctissimi Corporis et Sanguinis Christi, Ecclesia quae est in Angola hoc anno Primum Congressum Eucharisticum Nationalem peraget. Iustum enim est sacram liturgiam in Populo Dei colere, sed haud dubie potissimum Eucharistiam, ubi ipse Christus vere realiter substantialiter adest, ut maior honor et cultus praebeatur illi divinissimo Sacramento, quod prorsus singulari modo "est culmen, ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat" (*Sacrosanctum Concilium* 10).

Laetanti igitur animo novimus sacros Angolae Praesules, simul cum fidelibus, post congruam praeparationem proxime I Congressum Eucharisticum Nationalem in urbe Huambensi esse celebraturos. Quia vero nobilis hic populus per superiores quinque saecula in fide catholica constanter crescit et prosperat, arbitramur huiusmodi eventum ipsius adhaesionem Christo eiusque Ecclesiae usque firmiter roborare posse, qua de re hoc salutare propositum Nos laudare cupimus et precibus sustinere.

Quo autem catholica haec communitas cum Ecclesia et beati Petri Successore unitatis vinculum magis

persentiat Nostramque experiatur sollicitudinem et caritatem, libenter petitioni concedimus, quam dudum Nobis attulit Venerabilis Frater Philomenus do Nascimento Vieira Dias, Archiepiscopus Metropolita Luandensis atque Praeses Conferentiae Episcopalis Angolae et Sancti Thomae, nempe ut Patrem Purpuratum illuc mittamus, qui Nostram his diebus gerat personam. Ad te autem mentem Nostram vertimus, Venerabilis Frater Noster, qui Lusitaniae et Ecclesiae praestantissimus es Filius ac diligenter officium geris Patriarchae Lisbonensis quique dignum et fidelem te praebes Nostrum et Apostolicae Sedis cooperatorem in variis magni ponderis negotiis.

Quam ob rem fidenter te **Nostrum Missum Extraordinarium** constituimus ad Primum Congressum Eucharisticum Nationalem Angolae diebus XII-XVIII proximi mensis Iunii in urbe Huambensi celebrandum. Hac etiam data occasione, praesertim die sollemnitatis Sanctissimi Corporis et Sanguinis Christi, una cum sacris Pastoribus omnibusque christianis fervidas reddes gratias - quod voce "Eucharistia" significatur - pro magnis donis fidei et baptismatis quae nos Christi mortis, resurrectionis et vitae participes efficiunt atque pro eucharistico Pane, de quo Salvator ipse docet: "Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum" (Io 6,51). Hortaberis quoque christifideles, qui per baptismum receperunt fidem, ut Christi testes effecti fratribus subveniant animi corporisque in necessitatibus.

Quo hic eventus in spiritale totius Angolae populi bonum magis proficiat eiusque corroboret fidem, maturioresque simul edat caritatis fructus, legationem tuam precibus committimus Deiparae Virginis Mariae et sanctorum Petri Claver et Paschalis Baylon. Salutationem denique Nostram omnibus transmittendam curabis necnon Benedictionem Apostolicam, caelestis gratiae pignus et propensae Nostrae voluntatis testem, Nostro nomine huius Congressus Eucharistici participantibus ac dilectae Angolanae Ecclesiae peramanter largiaris.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVII mensis Maii, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS

---